

Pinicianus, Johannes

Precepta Ac Doctrinae Domini nostri Iesu Christi, paruulis in ludis
literariis tradendae

Augustae 1529

4 Catech. 85,3

urn:nbn:de:bvb:12-bsb00019840-5

VD16 P 2845

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Daten systemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.



Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.


Catech⁴

85/3

Catech. 85(3)

Praecepta





Precepta
AC DOCTRINÆ
Domini nostri Iesu Christi,
paruulis in ludis
literariis tradenda.



Anno M. D. XXIX.

Sinite paruulos uenire ad me.



AD LECTOREM.



VMIAM VBIQVE TERRARum salutiferum Dei verbum vulgari ceptum sit, atque adeo in hominū animis mirabiliter radicauerit: vt uel textor ad telam, & arator in agris illud tractet & moduletur: Cur nō & paruuli Christiani in hoc quoque a primis (ut aiunt) cunabulis erudiantur? qui alioqui nescio quas fabulas, & anilium muliercularum nugamenta, cum nutricis fere lacte imbibere coguntur. At qđ teneris mentibus insitū est, & alte radices mittit, nec facile postea vlla vi diuelli potest. Optimum igitur factu fuerit, si optima quæque ab initio pueris tradantur: quibus assuefacti, ea semper in animo & in ore versantes, vitam suam rectius dirigere valeant: Quid autem sanctius, quid homini Christiano magis necessarium verbo Dei esse potest? In eo puer ipse ab infantia exerceatur: Prima in eo elementa legere & intelligere discat. Ita fiet, ut quæ frequenter lectitauerit, legendoque didicerit, firmiter in animo hareant, proque regula & vitæ duce habeantur. Verum cum totus quatuor Euangelistarū contextus puero iam incipienti legere prolixior sit: & antequam semel ad calcem libri perueniatur legendo multos codices ipse consumat: Ego eorum labori & longæ lectionis fastidio consulens, ex toto Euangelio, Domini dūtaxat præcepta & doctrinas historiis, miraculis, & parabolis ad prouectiorem ætatem reseruatis, excerpſi. In illis igitur Diuinis præceptis, quæ præcipue nosse oportet, puer primum legendo, deinde a fideli præceptore interpretationem discendo sese exerceat: Atque hoc pacto Legem Domini semper in corde, semper in ore ferens: consuetudine illa saluberrima iugiter in mandatis Domini adextremos usq; cineres constans perseuerabit. Vale lector boni consule.

Qui ex Deo est, uerba dei audit. Ioan. viii.

¶ Præcepta Decalogi.

Si diligitis me, præcepta mea seruate.

Qui habet præcepta mea, & seruat ea, ille est qui diligit me, qui autem diligit me, diligetur a patre meo, & ego diligam eum, & aperiam ei meipsum. Ioan. xiiii.

Primum omnium præceptum est: Audi Israel, Dominus deus noster, dominus unus est, & diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis uiribus tuis: Hoc est primum præceptum: & secundum simile: hoc est, Diliges proximum tuum, ut teipsum, maius hiis aliud præceptum non est. Math. xxii. Mar. xii. Luce x.

Non committes adulterium.

Non occides.

Non facies furtum.

Non falsum testimonium dices.

Honora patrem tuum, & matrem tuam. Math. xix. Mar. x. Luce xviii.

¶ De dilectione erga proximum.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis uos inuicem sicut dilexi uos: maiorem hac dilectionem nemo habet ut quis animam suam ponat pro amicis suis. Ioan. xv.

Præceptum nouum do uobis, ut diligatis uos mutuo, sicut dilexi uos, ut & uos diligatis uos mutuo: In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si caritatem habueritis inter uos mutuam. Ioan. xiiii.

Hæc præcipio uobis, ut diligatis uos mutuo. Si mundus uos odit, scitis quod me priusquam uos odio habuerit. Ioan. xv.

**De diligendis inimicis, & quomodo
uiuendum cum eis.**

Diligite inimicos uestros: bene præceminis deuouentibus uos, benefacite hiis, qui uos odio persequuntur: Orate pro his, qui ledunt & insectantur uos: ut sitis filii patris uestri qui est in cælis: qui solem suum exoriri finit super malos & bonos, & pluuiam mittit super iustos et iniustos. Matth. v. Luce, vi.

Percucienti te in maxillam, prebe & alteram: & ab eo qui aufert tibi pallium, etiam tunicam noli prohibere: qui te adegerit ad miliarium unum, abito cum illo duo. Omni autem exigenti abs te, tribue: & ab eo qui aufert quæ tua sunt, ne reposcas: Et prout uultis ut faciant uobis homines, uos quoque facite illis similiter. Lu. vi. Math. v. & vii.

Diligite inimicos uestros & benefacite. Et mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces uestra multa, & eritis filii altissimi. Matth. v. Lu. vi.

Habeto beneuolentiã cum aduersario tuo cito dum es in uia cum illo, ne quando te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcerem coniciaris: amen dico tibi, non exhibis illinc, donec persolueris extremum quadrantem. Matth. v. Lu. xii.

Si remiseritis hominibus errata sua, remittet & uobis pater uester cælestis: quod si non remiseritis hominibus errata sua, nec pater uester remittet errata uestra. Matt. vi.

Et cum steteritis orantes, remittite si quid habetis aduersus aliquem. Mar. xi.

Remittite & remittetur uobis. Lu. vi.

Estote misericordes sicut & pater uester misericors est. Lu. vi.

Nolite iudicare, & nō iudicabimini: quo em̄ iudicio iudicatis, eo iudicabitur de uobis: & qua mensura metimini, ea metientur uobis alii. Mat. vii. Lu. vi.

Date & dabitur uobis, mensuram bonam & confer-
tam & concussam, atque exundantem in sinum ue-
strum. Lu. vi.

Cur autem uides festucam quæ est in oculo fratris tui, trabem autem, quæ est in oculo tuo, non animad-
uertis? aut quomodo dicis fratri tuo: Sine eximam fe-
stucam ex oculo tuo, & ecce trabes in oculo tuo? Hy-
pocrita, eiice prius trabem ex oculo tuo, & tum per-
spicies ut eximas festucam ex oculo fratris tui. Mat. vii
Luce. vi.

Nolite iudicare secundum aspectum, sed iusto iudi-
cio iudicate. Ioan. vii.

Quisquis irascitur fratri suo (temere) obnoxius erit
iudicio: quicūque uero dixerit fratri suo racha, obno-
xius erit concilio: quisquis autem dixerit fatue, obno-
xius erit gehennæ incendio. Itaque si obtuleris munus
tuum ad aram, & illic recordatus fueris, q̄ frater tuus
habet aliquid aduersus te, relinque illinc munus tuum
coram altari, & abi prius reconcilieris fratri tuo: & cū
ueneris, offer munus tuum. Mat. v.

Quicūque ad bibendum dederit uni ex pusillis hīs
poculum aque frigide tantum nomine discipuli, amen
dico uobis, nō perditurus est mercedem suam. Mat. x.

Porro si peccauerit in te frater tuus, uade & argue
eum inter te & ipsum solum: Si te audierit, lucratus es
fratrem tuum: Sin uero te non audierit, adhibe tecum
adhuc unum, aut duos: ut in ore duorum, aut trium te-
stium consistat omne uerbum. Quod si non audierit

eos, dic ecclesie: q̄ si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Mat. xviii. Luce xvii.

Rursum dico uobis: q̄ si duo ex uobis consenserint super terram de omni re quacūque petierint, fiet illis a patre meo, qui in celis est. Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Matth. xviii.

Domine (inquit Petrus) quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? num usque septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi usque septies, sed usq̄ septuagies septies. Mat. xviii. Luce xvii.

¶ De cauendis offendiculis.

Quisquis offenderit unum ex pusillis qui confidunt in me, melius foret illi, si circundaretur saxum molare circaceruicem eius, & abiiceretur in mare. Mar. ix.

Quod si oculus tuus dexter obstaculo tibi fuerit, erue illum, & abiice abste. Expedi enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum coniciatur in gehennam. Et si dextera tua manus obstiterit tibi, amputa eam, & proiice abste: expedi enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum ac non totum corpus tuum coniciatur in gehennam. Mat. v. Mar. ix.

Fieri nō potest quin ueniant offendicula: Vt tamen illi per quem ueniunt: expedi illi, si mola asinaria ponatur circa collum eius, & proiectus fuerit in mare potius quā ut offendiculo sit uni de pusillis istis. Luce xvii. Mat. xviii.

¶ A falsis Prophetis & simulata religione cauendum.

Cauete uero uobis a pseudoprophetis, qui ueniunt ad uos in uestitu ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces: a fructibus ipsorum agnoscetis eos: Nūquid colli-

gunt de spinis uuam? aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: putris autem arbor fructus malos facit: non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor putris, fructus bonos facere. omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur & in ignem coniicitur: Igitur ex fructibus ipsorum agnosce-
scetis eos Mat. vii. Luce vi.

Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo, ex malo thesauro cordis sui profert malum. Ex abundantia enim cordis loquitur os. Luce vi. Mat. xii.

Cauete a scribis qui uolunt ambulare in stolis & amant salutationes in foris, ac primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conuiujs, qui deuorant domos uiduarum simulantes longas preces, hii accipient damnationem maiorem. Luce xx. Mar. xii.

In cathedra Mosi sedent scribæ & Pharisei. Omnia ergo quæcunque iusserint uos seruare, seruate, & facite: secundum opera uero eorum nolite facere: Dicunt enim & non faciunt. Colligunt enim onera grauia difficiliaque portatu, & imponunt in humeros hominum, cæterum digito suo nolunt ea mouere. Omnia uero opera sua faciunt in hoc, ut spectentur ab hominibus. Dilatant autem philacteria sua, & magnificant fimbrias palliorum suorum, amantque primos accubitus in cœnis, & primo sedere loco in consilijs, & salutationes in foro, & uocari ab hominibus Rabbi. Mat. xxiii.

¶ De auaritia & nimia sollicitudine pro rebus terrenis fugienda.

Videte & cauete ab auaritia: quia non in abundantia cuiusquam uita eius est ex hijs quæ possidet. Lu. xii,

Ne reponatis uobis thesauros in terra, ubi erugo & tinea corrumpit, & ubi fures perfodiunt ac furantur, Sed recondite uobis thesauros in celo, ubi neque erugo neque tinea corrumpit, & ubi fures non perfodiunt neque furantur: Nam ubi fuerit thesaurus uester, illic erit & cor uestrum. Mat. vi. Lu. xii.

Nemo potest duobus dominis seruire, aut em̄ hunc habebit odio, & alterum diliget, aut huic adhaerebit, & alterum negliget. Non potestis Deo seruire & mammonæ. Propterea dico uobis: Ne sitis solliciti uitæ uestrae quid esuri sitis, aut bibituri, neque corpori uestro quibus indumentis usuri: nonne anima pluris est q̄ cibus, & corpus pluris q̄ indumentū: Vertite oculos ad uolatilia caeli: quia non serunt, neq; metunt, neq; conuehunt in horrea, & pater uester caelestis alit illa: Nonne longe p̄cellitis illa? Quis aut̄ ex uobis sollicite cogitando potest addere ad staturā suam cubitū unum? ac de indumento qd solliciti estis? cognoscite lilia agri quomodo crescant, nō laborant, neq; nent: At tñ dico uobis, ne Solomonem quidem in uniuersa gloria sua sic amictum fuisse ut unū ex hiis. Quod si gramen agri, qd hodie, cum sit, cras in clibanū mittit̄, deus sic uestit: an nō multo magis uobis sic faciet: o paup̄e fidentes? Ne sitis igitur solliciti, dicentes: Quid edemus, aut qd bibemus, aut quibus operiemur? nam oīa ista gentes exquirunt: Nouit enim pater uester caelestis, qd opus habetis hiis om̄ibus. Quin potius querite primū regnum dei & iusticiā eius, & haec oīa adiicientur uobis: Ne sitis igitur solliciti in crastinum: nam crastinus dies, curā habebit sui ipsius, sufficit sua diei afflictio. Mat. vi Luce. xii.

Ne possideatis aurum, neque argentum, neque æs

in crumenis uestris, neque peram ad iter, neque binas tuni-
cas, neque calciamenta, neque uirgā: Nam dignus est mer-
cenarius cibo suo. Mat. x. Lu. x.

Quam difficile, hii
qui pecunias habent, in regnum dei intrabunt. Mar. x.

Amen dico uobis, diues difficile intrabit in regnum
celorum: Et iterum dico uobis, Facilius est camelū p̄ for-
men acus trāsire q̄ diuitē in regnū dei. Mat. xix. Lu. xviii

Quid em̄ p̄dest homini si totū mūdū lucratus fuerit
aīme uero suę iacturā fecerit: aut qd dabit homo cuius
p̄mutatione redimat animā suā. Futurū est em̄ ut filius
hoīs ueniat in gloria p̄ris sui cū angelis suis, & tūc red-
det unicuiq; iuxta facta ipsius. Mat. xvi. Lu. ix. mar. viii.

Vē uobis diuitibus, q̄ habetis cōsolationē uestram.
Vē uobis qui saturati estis: q̄a esuriētis. Vē uobis qui
ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis. Vē uobis cum
laudauerint uos omnes homines. Lu. vi.

¶ Breuis ad uirtutē uia ostendit̄, & quę sit uita per-
fecta: & q̄ omnia p̄pter Christū relinq̄nda sint.

Om̄ia igit̄ q̄cūq; uolueritis ut faciāt uobis hoīes, sic
& uos facite illis. Hęc em̄ est lex & p̄phetā: Introite p̄
arctā portā: qm̄ lata est porta & spaciofa uia q̄ abducit
in exitiū, multiq; sunt, q̄ ingrediunt̄ p̄ illā: Qm̄ angusta
est porta & stricta uia q̄ abducit ad uitā, & pauci sunt
qui inueniunt illam. Mat. vii. Lu. vi. Si uis perfectus
esse, uade uende q̄ habes, & da pauperibus, & habebis
thesaurum in celo, & ueni sequere me. Mat. xix. Mar. x.

Vendite quę possidetis, & date eleemosinam: para-
te uobis saculos, qui non ueterascunt, thesaurum non
deficientem in celis, quo fur non accedit, neque tinea
corrumpit: Vbi enim thesaurus uester est, ibi & cor ue-
strum erit. Luce xii,

Qui p̄seuerauerit usq; in finē, hic saluus erit. Mat. xxiiii.

Si quis uenit ad me, nec odit patrem suum, aut matrem, & uxorem & filios & fratres & sorores, præterea aut & animā suam, non potest meus esse discipulus. Et quisquis nō baiulat crucem suam & uenit post me, non potest meus esse discipulus. Lu. xiiii. Mat. x. Lu. ix.

Omnis igit̄ qui confitebit̄ me corā hominibus, confitebor & ego illū corā patre meo q̄ est in celis. Porro quisquis negauerit me corā hominibus, negabo eū & ego coram patre meo qui est in celis. Mat. x.

Nemo est q̄ reliquit̄ domū aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut liberos propter regnū Dei, q̄ nō recepturus sit multo plura in hoc tempore & in seculo uenturo uitam æternam. Lu. xviii. Mat. xix. Mar. x.

Qui amauerit p̄rem aut matrem supra me, nō est me dignus: & q̄ amauerit filiū aut filiā supra me, nō est me dignus: & qui nō accipit crucē suā & sequit̄ me, nō est me dignus: Qui inuenerit animā suā, pditurus est eā, & qui perdidit animam suam, mea causa, inueniet eam. Mat. x. Lu. xiiii. Si qs sermonem meū seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Io. viii.

Non est discipulus supra p̄ceptorem, neq; seruus supra Dominū suū, sufficit discipulo, ut sit sicut p̄ceptor ipsius, & ut seruus sicut dñs ipsius: si ipsum patrem familias uocauerunt Beelzebub, quantomagis domesticos illius. Mat. xvi. Lu. vi. Io. xiii. xv.

Si me persecuti sunt, & uos q̄rsequentur. Ioan. xv.

Cū feceritis omnia q̄ p̄cepta sunt uobis, dicite: serui inutiles sumus: q̄ debuimus facere, fecimus. Lu. xvii.

Seq̄re me: & s̄ne ut mortui sepeliant mortuos suos. Matth. viii.

Nemo, qui manu sua admota aratro, respexerit a tergo, aptus est regno Dei. Luc. ix.

Ambulate donec lucē habetis, ne uos tenebrę occupent: & q̄ ambulat in tenebris, nescit quo uadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Io. xii.

Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.

¶ Octo beatitudines.

Beati paup̄es spiritu, quoniā illorū est regnū celorū.

Beati qui lugent, quoniā ipsi cōsolationē accipient.

Beati mites, quoniā ipsi hereditatem accipient terre.

Beati q̄ esuriūt & sitiunt iusticiā, qm̄ ip̄i saturabunt̄.

Beati misericordes, quoniā misericordiā conseq̄nt̄.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt.

Beati pacifici, quoniam filii Dei uocabuntur.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam illorum est regnum celorum.

Beati estis, cū probra iecerint in uos homines, & insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbū aduersus uos mentientes p̄pter me: Gaudete, & exultate, quoniā merces uestra multa est in celis. Mat. v. Lu. vi,

¶ Superbis Deus resistit, humiles exaltat.

Omnia uero opa sua faciunt, ut spectent̄ ab hoībus dilatant aut̄ phylacteria sua, & magnificāt fimbrias palliorū suorū, amantq̄ primos accubitus in ccenis, & primo sedere loco in consiliis, & salutatiōes in foro, & uocari ab homībus Rabbi: Vos aut̄ nolite uocari Rabbi: unus est em̄ magister uester, nēpe Christus, oēs aut̄ uos fratres estis. Et patrē nolite uocare uobis in terra: unus est em̄ pater uester q̄ in celis est. Nec uocemini magistri unus em̄ uester est magister nēpe Christus. Qui maximus est uestrū, erit minister uester: q̄ aut̄ se exaltauerit,

humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur. Vex autem uobis scribae & pharisei hypocritae. Mat. xxiii. Lu. xi.

Scitis quod qui uidentur imperare gentibus, dominium exercent aduersus illas. Et qui magnates sunt inter eas potestatem exercent in illas: Vex non sic erit inter uos: Sed qui cumque uoluerit ex uobis fieri magnus inter uos, erit minister uester: Et qui cumque uoluerit ex uobis esse primus, erit omnium seruus. Nam & filius hominis non uenit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, ac daret animam suam redemptionem pro multis. Mar. x. Mat. xx. Lu. xxii. & ix.

Cum inuitatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo: & ueniens is, qui te & illum uocauit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore extremum locum tenere: Quin potius cum uocatus fueris, uade accumbe in nouissimo loco, ut cum uenerit, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius: tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus: quia omnis qui se extollit, deiicietur: & qui se deiicit, extolletur. Lu. xiiii.

Sinite pueros uenire ad me, ne prohibeate illos: talium enim est regnum Dei. Amen dico uobis: qui cumque non acceperit regnum Dei tanquam puer, haudquam ingrediatur in illud. Mar. x. Mat. xix. Lu. xviii.

¶ Sermo noster sit uerax.

Nō inrandum.

Non peierabis, sed persolues domino ea quae iuraueris: at ego dico uobis, ne iuretis omnino, neque per celum: quia thronus Dei est, neque per terram: quia subsellium est pedum illius, neque per Hierosolimam: quonia ciuitas est magni regis, neque per caput tuum iurabis: propterea quod non potes unum pilum album aut nigrum facere. Sed erit sermo uester est est, non, non. Mat. v. Leuit. xix.

Sed dico uobis, q̄ de quocūq; uerbo ocioso quod locuti fuerint homines, reddituri sunt rationem in die iudicii: Nam ex dictis tuis iustificaberis, & ex dictis tuis condembnaberis. Mat. xii.

¶ Ingratis nihil tribuendum.

Vbicūq; introieritis in domū illic manete donec exeat illinc, & quicūq; nō receperint uos, neq; audierint uos, exeuntes illinc, excutite puluerem q̄ est sub pedibus uestris in testimoniū illis: Amen dico uobis, Tollabilius erit Sodomis aut Gomorrhis in die iudicii, q̄ ciuitati illi. Mar. vi. Mat. x. Lu. ix. & x.

¶ Incredulis misteria non credenda.

Ne detis q̄ sanctū est canibus: ne pieceritis margaritas uestras ante porcos, ne qñ hii conculcent eas pedibus suis, & illi uersi in uos lacerent uos. Mat. vii.

¶ Vir prudens, qui bene operatur uerbū Dei.

Non quisq; dicit mihi dñe dñe introibit in regnum celoy, sed qui fecerit uoluntatē patris mei q̄ in celis est. Omnis em̄ q̄ audit ex me sermones hos, & facit eos, assimilabo eū uiro prudenti, qui edificauit domū suā sup petrá: & descendit imber, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domū illā, & non est p̄strata: Fundata em̄ fuerat supra petrá. Et om̄is qui audit a me sermones hos, & nō facit eos, assimilabit uiro fatuo q̄ edificauit domū suā sup arenā: & descendit imber, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & impegerūt in domū illā, & deiecta est: & fuit ruina illi⁹ magna. Mat. vii.

petra Christi: dom⁹ aīa: Venti & imber, tribulationes.

Quid autem uocatis me domine domine, & non facitis quæ dico. Lu. vi.

¶ De oratione & fidei uirtute.

Tu uero cū oras, introito in cō claue tuū, & occluso

hostio tuo, ora patrē tuū, q̄ est in occulto, & pater tuus
q̄ uidet in occulto, p̄soluet tibi in p̄patulo. Verę oran-
tes, ne sitis multiloq̄, sicut Ethnici: putant em̄ fore, vt
ob multiloq̄ suū exaudiant̄: Ne igit̄ efficiamini simi-
les istorę: Nouit em̄ pater uester quibus rebus opus sit
uobis priusq̄ petatis ab illo. Ad hunc ergo modū ora-
te uos: P A T E R noster qui es in celis: sanctificet̄ no-
men tuū: Veniat regnū tuū: Fiat uoluntas tua, quēad-
modū in cælo, sic & in terra: panem nostrę quotidianū
da nobis hodie, & remitte nobis debita nostra, sicut &
nos remittimus debitoribus nostris: & ne inducas nos
intētationē, sed libera nos a malo (quia tuū est regnū,
& potentia, & gloria in secula seculorę) Amen. Mat. vi.

Petite, & dabit̄ uobis: q̄rite, & inuenietis: pulsate, &
aperietur uobis. Quisquis em̄ petit, accipit: & quicūq̄
q̄rit, inuenit: & pulsanti, aperiet̄. Mat. vii. Lu. xi.

Venit hora, & nunc est, quādo ueri adoratores ado-
rabunt patrem spiritu ac ueritate, nam & pater tales q̄-
rit qui adorent ipsum. Spiritus est deus, & eos qui ado-
rant cum spiritu ac ueritate oportet adorare. Io. iiii

Amen dico uobis, q̄ quicūq̄ dixerit monti huic: Tol-
laris ac mittaris in mari, & nō hēsitaucrit in corde suo,
sed crediderit fore q̄ dixerit, erit illi quicquid dixerit:
Propterea dico uobis, q̄cūq̄ orantes petitis, credite q̄
accipitis, erunt uobis. Mar. xi. Mat. xii. Lu. xvii.

Hactenus non petistis quicq̄ in nomine meo: petite
& accipietis, ut gaudium uestre sit p̄fectum. Io. xvi.

Omnia possibilia credenti. Mar. ix.

¶ De Eleemosina.

Attendite ne eleemosinā uestrā p̄stetis corā hoībus
quo spectemini ab illis: Alioq̄ p̄miū nō habebitis apud

patrem uestre q̄ est in celis. Itaq; cū p̄stas eleemosinā, ne
tubis canat̄ ante te, quēadmodū hypocrite faciunt in
conciliabulis, & in uicis, ut glorificent̄ ab hominibus.
Amen dico uobis, habent mercedē suā. Ceterū tu cū p̄-
stabis eleemosinā, nesciat sinistra tua quod facit dextra
tua: ut sit tua eleemosina in occulto, & pater tuus, qui
uidet in occulto, ipse reddet tibi in p̄patulo. Mat. vi.

¶ De Ieiunio.

Porro cū ieiunaueritis, ne sitis uelut hypocrite tetri-
ci: obscurant em̄ facies suas, quo conspicuū sit hōibus
ip̄os ieiunare: Amen dico uobis, habent mercedē suā.
Tu uero cū ieiunas, unge caput tuū, & faciē tuā laua,
ne conspicuū sit hominibus te ieiunare, sed patri tuo q̄
est in occulto, & pater tuus qui uidet in abdito, reddet
tibi in propatulo. Mat. vi.

¶ Quomodo conuiuium habendum.

Cū facis prandiū, aut cenā, noli uocare amicos tuos
neq; fratres tuos, neq; cognatos tuos, neq; uicinos di-
uites: ne quando & ip̄si te uicissim inuitent ac rependat̄
tibi b̄n̄ficiū: Imo cū facis cōuiuiū, uoca pauperes, debi-
les, claudos, cēcos, & beatus eris: q̄a nō possunt repen-
dere tibi, repēdet̄ em̄ tibi in resurrectōe iustorū. Lu. xiiii

¶ De iudicio extremo.

Cauete aut̄ uobis neq̄n grauent̄ corda uestra crapula
& ebrietate, & curis huius uite: Subitusq; uobis ingru-
at dies ille: Tanq̄ laq̄us em̄ sup̄ueniet in om̄es q̄ sedent
sup̄ faciē totius terræ. Vigilate itaq; omni tēpore: ut li-
ceat uobis effugere ista om̄ia q̄ futura sunt, & stare an-
te filiū hominis. Luce xxi. Matth. xxiiii.

Cū aut̄ uenerit filius hominis in gloria sua, & omnes
sancti angeli cū eo: tunc sedebit sup̄ sedem gloriæ suæ.

Opera mi-
seriaordia
sola Deus
requirit.

Infernus.

Et cōgregabunt̄ ante eū om̄es gentes: & sepabit eos, al-
teros ab alteris: sicut pastor segregat oues ab hœdis, &
statuet oues q̄dem a dextris suis, hœdos aut̄ a sinistris.
Tunc dicet rex hiis qui a dextris sibi erunt: Venite be-
nedicti patris mei, possidete regnū paratū uobis ab ex-
ordio mundi. Esuriui em̄, & dedistis mihi edere: Sitiui,
& dedistis mihi bibere: Hospes eram, & collegistis me:
Nudus, & operuistis me: Infirmus, & uisitastis me: In
carcere eram, & uenistis ad me. Tunc respondent ei iu-
sti dicentes: Domine, quando te uidimus esurientem,
& pauimus, aut sitientem, & dedimus tibi potū: quan-
do autem te uidimus hospitem, & collegimus te: & nu-
dū, & cooperuimus te: aut quando te uidimus infirmū
aut in carcere, & uenimus ad te: Et respondens Rex, di-
cet illis: Amen dico uobis: quatenus fecistis uni de hiis
fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tūc dicet & hiis,
qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem
eternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: Esuri-
ui em̄, & non dedistis mihi cibum: Sitiui, & nō dedistis
mihi potum: Hospes eram, & non collegistis me: Nu-
dus, & non operuistis me: Infirmus, & in carcere eram,
& non uisitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi, di-
centes: Domine, quando te uidimus esurientem aut si-
tientem, aut hospitem, aut nudū, aut infirmum, aut in
carcere, & nō ministrauimus tibi. Tunc respondebit il-
lis, dicens: Amen dico uobis: quatenus nō fecistis uni
de minimis hiis, nec mihi fecistis. Et ibunt hii in suppli-
cium eternū: iusti uero in uitā eternam, Mat. xxv.

¶ Quem timere debeamus.

Ne metuatis uobis ab hiis, qui occidunt corpus,
animā autem non possunt occidere: sed metuite magis

illum, qui potest & animã & corpus p̄rdere in gehennâ.
Nōne duo passeruli minuto asse ueneunt? & unus
ex illis non cadet in terrã sine patre uestro: Vestri etiam
pili capitis omnes numerati sunt. Ne igitur metuatis,
uos pluris estis, q̄ passeruli. Omnis igitur qui cōfite-
bitur me coram hominibus, confitebor & ego illũ co-
ram patre meo qui est in c̄lis. Porro quisquis negauerit
me coram hominibus, negabo eum & ego coram
patre meo qui est in c̄lis. Mat. x. Lu. xii.

Magna
deo cura
de nobis.

Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta
hominum. Mat. xv.

¶ Vxori adherendum.

Propterea deseret homo patrem & matrẽ, & adglu-
tinabitur uxori suã: & erunt duo, in carnẽ unam. Itaq̄
iam nō sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus copu-
lauit, homo ne separet. Mat. xix. Mar. x.

Quicũq̄ aspexerit uxorẽ alterius ad concupiscendũ
eam, iã adulterium cũ ea cōmisit in corde suo. Mat. v.

¶ Spiritualia gratis danda.

Gratuito accepistis, gratuito date. Mat. x.

¶ Omnia aperta erunt.

Nihil em̄ est tectum, qđ non sit retegendum: & nihil
occultum, quin futurũ sit ut sciatur. Quod dico uobis
in tenebris, dicite in luce, & qđ in aurem auditis, præ-
dicare in tectis. Mat. x. Mar. iiii. Lu. viii. & xii.

¶ Innocentia commendatur.

Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis & efficiami-
ni sicut pueri, nō ingrediemini in regnum c̄lorũ. Quis-
quis igitur demiserit semetipsum, sicut est puer iste, hic
est ille maximus in regno c̄lorũ: & qui receperit unum
puellum talem in nomine meo, me recipit. Qui autẽ of-

fenderit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collū eius ac demergatur in profundū maris. Ve mundo ab offendiculis: necesse est em̄ ut ueniant offendicula: ueruntamē ue homini per quem offendiculum uenit. Mat. xviii. Mar. ix. Lu. xvii.

Cibus non coinquinat.

Audite & intelligite: non qđ ingreditur in os, impurat hominem, sed qđ egreditur ex ore, hoc impurū reddit hominē. Nōdum intelligitis, quod quicquid ingreditur in os, in aluum abit, & in secessum eiicitur: at ea quæ proficiscuntur ex ore, ex ipso corde egrediuntur: & illa impurū reddunt hominē. Nā ex corde exeunt cogitationes malę, cędes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuicia: Hęc sunt quæ impurant hominē. Ceterum illotis manibus capere cibum non inquinat hominem. Mat. xv. Mar. vii.

Edite quæ apponuntur uobis. Lu. x.

Penitentia.

Dico uobis, qđ ita gaudiū erit in cęlo super uno peccatore resipiscente, magis q̄ super nonaginta nouem iustis qui non indigent penitentia. Lu. xv.

Verbum dei manet in eternum.

Cęlum & terra præteribunt, uerba autem mea non præteribunt. Mat. xxiii. Mar. xiii.

Vigilandum est nobis.

Vigilate: quia nescitis qua hora Dominus uester uenturus sit. Illud autem scitote: quoniam si scisset pater familias, qua hora fur uenturus fuisset, uigilasset utique, & non fuisset perfodi domum suam: Ideo & cū incert⁹. uos estote parati: quia qua hora non putatis, ea filius

hominis uenturus est. Matth. xxiiii.

Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ accensæ, & uos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur a nuptiis: & cum uenerit ac pulsauerit, confestim aperiant ei: Beati serui illi, quos cum uenerit dominus, inuenerit uigilantes. Lu. xii.

Non est seruus maior domino suo: si me persecuti sunt, & uos persequentur. Io. xv.

Regnum celorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Mat. xi.

Multi sunt uocati, pauci uero electi. Mat. xxii.

In solo Christo Iesu uita, spes, & salus nostra.

Hoc est opus Dei: ut credatis in eum, quem misit ille. Iohann. vi.

Amen dico uobis: non Moses dedit uobis illum panem de celo, sed pater meus dat uobis panem de celo uerum: Panis enim Dei est, qui de celo descendit, & dat uitam mundo. Ego sum panis uitæ: qui uenit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam. Io. vi.

Hæc est autem uoluntas eius, qui misit me: ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Iohann. vi.

Nemo potest uenire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Iohann. vi.

Amen dico uobis, qui confidit mihi, habet uitam æternam. Ego sum panis ille uitæ: patres uestri comederunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis ille de celo descendens, ut ex ipso edat aliquis, & non moriatur. Ego sum panis uiuus, qui de celo descendi: si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum: Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mun-

di uita. Amen dico uobis: nisi ederitis carnem filii ho-
minis, & biberitis eius sanguinem, non habetis uitam
in uobis. Qui edit meam carnem, & bibit meum sangui-
nem, habet uitam eternam, & ego suscitabo eum in no-
uissimo die. Caro enim mea uere est cibus, et sanguis me-
us uere est potus: qui edit meam carnem, & bibit meum
sanguinem, in me manet, & ego in illo. Io. vi.

Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulabit
in tenebris, sed habebit lumen uitae. Io. viii.

Ego sum ostium: per me si quis introierit, seruari-
tur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Io. x.

Christus
pastor

Ego sum pastor ille bonus, bonus pastor animam
suam dat pro ouibus: mercenarius autem & qui non
est pastor, cuius non sunt oues propriae, uidet lupum
uenientem, & deserit oues, fugit: & lupus rapit ac dis-
pergit oues, Io. x.

Ego sum uia, & ueritas, & uita: nemo uenit ad patrem
meum, nisi per me, Io. xiiii.

Si quid petieritis per nomen meum, ego faciam: Si
diligitis me, praeccepta mea seruate. Ibidem.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pa-
ter meus diliget eum: & ad eum ueniemus, & mansionem
apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones me-
os non seruat. Io. xiiii.

Ego sum uitis uera, & pater meus agricola est: omnem
palmitem in me non ferentem fructum, tollit: & omnem
qui fert fructum, purgat: ut fructum copiosorem afferat.

Manete in me, & ego in uobis: Sicut palmes non
potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in uite,
sic nec uos, nisi in me manseritis. Ego sum uitis, uos
palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum.

multū: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, eiectus est foras sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem coniciunt, & ardent. Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis, petetis, & fiet uobis Io. xv.

Hæc locutus sum uobis, ut in me pacem habeatis, in mundo afflictionem habetis: sed bono animo sitis, ego uici mundum. Io. xvi,

Hæc est autem uita eterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christū. Ioan. xvii.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego refocillabo uos. Tollite iugum meū super uos: & discite a me, quia mitis sim, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum commodum est, & onus meum leue est. Mat. xi.

Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis, non quomodo mundus dat ego do uobis. Io. xiiii.

Virtus latere non potest.

Non potest oppidum abscondi supra montem, neque accendunt lucernam, & ponunt illam subter modium, sed super candelabrum, & lucet omnibus qui sunt in domo. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra opera bona, glorificentque patrem uestrum qui est in celis. Mat. v.

Omnis qui mala agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera eius: qui autem operatur ueritatem, uenit ad lucem, ut conspicua fiant facta ipsius, quia per Deum sint facta. Io. iii.

Aegrotis medico opus est.

Non opus habent illi, qui ualidi sunt, medico, sed qui male habent, quin potius ite, & discite quid sit illud: Mi

sericordiam uolo, & non sacrificium: Non enim ueni
ad uocandum iustos, sed peccatores ad penitentiam
Mat. ix. Mar. ii. Lu. v.

C Rarum donum castitas uera.

dicti:
Hoc est:
non expe-
dire cōtra
here matri-
monium.
Non omnes sunt capaces huius dicti: sed ii, quibus
datum est. Sunt em̄ eunuchi, qui de matris utero sic
nati sunt: Et sunt eunuchi, qui facti sunt eunuchi ab
hominibus: Et sunt eunuchi, qui seipso castrauerunt
propter regnum cęlorum: Qui potest capere, capiat.
Matth. xix.

C Augustæ, apud Siluanum Otmar.
Anno M. D. XXIX.

INDEX EORVM QVÆ
in hoc Libello continentur.

Præcepta Decalogi.
De dilectione erga proximum.
De diligendis inimicis, & quomodo uiuendum cum eis.
De cauendis offendiculis.
A falsis Prophetis & simulata religione cauendum.
De Auaritia & nimia sollicitudine pro rebus terrenis fugienda.
Breuis ad uirtutem uia, & quæ sit uita perfecta, & quæ omnia propter Christum relinquenda.
Octo beatitudines.
Superbis Deus resistit, humiles exaltat.
Sermo noster sit verax.
Ingratis nihil tribuendum.
Incredulis misteria non credenda.
Vir prudens qui bene operatur uerbum Dei.
De oratione & fidei uirtute.
De elemosina.
De ieiunio.
Quomodo conuiuium habendum.
De iudicio extremo.
Quem timere debeamus.
Spiritualia gratis danda.
Aperta erunt omnia.
Innocentiæ commendatio.
Cibus non coinquinat.
Penitentia.
Verbum Dei manet in æternum.
Vigilandum esse.
In solo Christo Iesu uita, spes, & salus nostra.
Virtus latere non potest.
Ægrotis medico opus.
Rarum donum castitas.

LIBRARY OF THE
BIBLIOTHECA

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is difficult to decipher due to its lightness and the age of the paper.



